





1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.



13061  
40

N<sup>o</sup> II  
DECURIA *Schleuss f. 1629 A*

Quæstionum Historico-Politicarum

DE

MAGISTRATU,

QUAM

*Summo moderante Dictatore,*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi atq; Excellentissimi,*

DN: MATTHIÆ BERNEGGERI,  
HISTORIARUM IN FLORENTISSIMA ARGEN-  
TORATENSIVM UNIVERSITATE PROFESSORIS  
celeberrimi, Præceptoris & Patroni sui æter-  
nùm honorandi,

*Placide Disquisitioni publicè exponit,*

*Horâ locoq; consuetis,*

*Mensis Iunii die*

JOHANN-LAURENTIUS BÜTTNER,  
Suinfordiâ - Francus.



*Nonnunquam de Republ. est loquendum: Cujus materia quantò  
rarior occasio, tantò minùs omittenda est. Habeant nostra quoq;  
studia aliquid non humile, nec sordidum, nec privatis rebus in-  
clusum. Plin. lib. 3. ep. 20.*

ARGENTINÆ,

Excudebat WILHELMUS CHRISTIANUS GLASERUS,  
Academiæ Typographus.

ANNO M. DC. XXIX.

67

1711.

1711

MAGISTRAL

DR. MATTHEUS HERRIGER

ARGENTINA

ANNO MDCCLXII



### Proaulium.

**Q**uod Sol mundo, cor animali, ratio homini, id humanæ huic atque civili vitæ est Magistratus. Mundus sine Sole cimmerijs plenus tenebris in chaos resolvitur: animal sine corde in cineres atque favillas desinit: homo sine ratione in bestiam degenerat: humana hæc vita, nisi ab Optimo optimè administraretur Magistratu, salva diu florensque subsistere neutiquam potest. Id quod vel rerum perturbationes, seditiones, atq; bella civilia, Magistratu è medio sublato, Cœlum terrâ, divinâ humanis sursum deorsum volventia atque miscentia, luce clarius meridianâ demonstrant. Et quem, obsecro, in finem Persarum illa lex obtinuit, ut quinque diebus à morte Regis proximis, cui libet facere liceret, quod luberet? nisi ut Anarchiæ incommoda vagæ & iniquæ libertatis cupidæ plebeculæ vivis in theatrum quasi producerentur exemplis: Ita ut etiam nolens volens universum hunc naturæ ordinem duobus potissimum vinculis, potestatis Magistratusve uno: Subjectionis subditorumve altero, constare, fateri cogaris. Magistratus itaque lege præceptisque immobilis rerum humanarum ordo firmusque consistit. Ut enim gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria: Sic moderatori Reipubl. beata civium vita proposita est: Ut opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit, Cic. *s. de Republ.* Ipse est vinculum, per quod Respublica cohæret: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt; nihil ipsa per se futura, nisi

A

onus

onus & præda, si mens illa Imperij subtrahatur. Sen. 1. de  
*Clem.* Hujus itaque nobilissimi de Magistratu Politices  
articuli dignitate moto, in materia aliqua Historico-Po-  
litica vires quales quales Disputatoria in arena tentatu-  
ro; hanc præ cæteris de Magistratu seligere, & amicæ  
publicæque ventilandam Palestræ sistere placuit. Quod  
dum facio, ad sis quæso Regiminis & Politici & Literarij  
Dictator & Præses, Optime Maxime Jehova! Sed ad rem.

## QUÆSTIO I.

### *Utrum Sorte etiam eligendi Magistratus.*

Cùm Magistratus electio res sit omnium maxima  
in civitate, & veluti Reipubl. clavis: Fortunæ proinde  
temeritati committi haudquaquam debet. Quemad-  
modum enim imprudenter ageret, qui in constituendo  
navis gubernatore, non illum eligeret, qui scientiâ & ex-  
perientiâ cæteros antecelleret, sed quem Sors cæca obji-  
ceret: Sic in ijs rebus, in quibus publica salus aliorum  
prudentiæ innititur, temeræ Sorti se committere, haud  
rectum consilium videtur. Unde in tantum quidam  
Sortem sunt detestati, ut nullo eam modo approbârint.  
Sortem esse totam inventam fallacijs, aut ad quæstum,  
aut ad superstitionem aut ad errorem, scribit Cic. 2. de Div.  
& Arist. 1. Eth. 9. Extremæ, ait, esse dementiæ, id, quod ma-  
ximū optimumq; est, fortunæ committere. Quare, cùm  
ambitu suffragiorū suspecto, Sorte ducerentur Præfecti  
tabularum publicarum, hoc non diu mansisse; quia Sors  
deerrabat ad parum idoneos, norat prudentiæ Doctor Ta-  
cit. 13. *Annal.* 19. Cumque in Senatu Romano de mittendis  
ad Vespasianum legatis deliberaretur, eligi nominatim à  
Magistratibus juratis, an Sorte duci præstaret? Helvidi-  
us Priscus, Sorte, inquit, & urnâ mores non discerni: Suf-  
fragia

fragia & existimationem Senatus reperta, ut in cuiusque vitam famamque penetrarent, ut refert Idem 4. *Hist.* 7. Cæca namque illa Diva malos sapius & imprudentes, quàm alios evehit, juxta illud veriverbium: Fortuna favet fatuis. Speciosa hæc licet esse videantur, Sortisque usum ad Garamanticas mittere oras; non tamen nullus planè debet esse Sortis usus, etiam sacrarum literarum autoritate. Terra sacra per Sortem divisa est Israëlitis, in lib. Jos. passim. Saul per Sortem regnum obtinuit, 1. *Reg.* 10. De Romanis Tacitus memorat, eos Sortem legationibus posuisse, ne ambitioni aut amicitijs locus foret, 4. *Hist.* 8. Idem consignavit, Sorte ductos esse ex numero Prætorum, qui præessent tabulis publicis, ambitu suffragiorum suspecto, 13. *Annal.* 29. Sorte aut missa Principis obtentas provincias, 2. *Annal.* 43. Sorte etiam missus ad templi curam suscipiendam Naso, 4. *Hist.* 57. Imò Romæ dignitates per Sortem cuivis obveniebant, teste Lib. lib. 2. & 5. Nec alijs gentibus Sortium usus fuit incognitus. De Germanis Cæsar lib. 1. de bell. Gall. scriptum reliquit. Cùm inquit, ex captivis Germanis quæreret Cæsar, quamobrè Ariovistus prælio nõ decertaret; hæc dabatur causa: Quòd apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familiàs eorū Sortibus & vaticinationibus declarèt, utrum præliū committi ex usu esset nec ne; eas ita dicere, non esse fas Germanos superare, si ante novā lunam prælio contendissent. Sors Alexandro M Gordij nexum soluturo, antiquis oraculis accinentibus, totius Asiæ regnum obtulit, Justin. lib. 11. c. 7. Alexandri hujus success. res Regna & Provincias inter se Sorte diviserunt, Idem lib. 13. c. 4. Sorte Darius ad Regnum Persarum evehctus Herod. lib. 3. Sorte Primislaus à ferrea mensa, hoc est, à vomere, in quo prandebat, ad Solium & Regnum accitus Bohemorum. Æn. Silv. *Hist. Boh.* c. 6. Sorstamen, quæ cæca est, nec



cernit, quo se applicet, Cic. 2. ad Heren: in re tam momentosa, Magistratus nimirum electione simpliciter non usurpanda: nec, ubi vel ratio, vel consilium adhiberi potest, tentanda: Hoc enim temerarium esse, Pontanus alicubi monet: Sed tùm demum locum habere potest, cùm pares ambiunt principatum, ut hâc viâ præcludatur contemptus suspicio, Tholos. 7. de Republ. 14. num. 8. Seditio- nisque, quæ exarderet aliâs, extingatur facula, Cas. 4. Politic. 15. Hæc namque contradictiones comprimit: hæc inter potentes dijudicat, Proverb. 18. & hæc quidem omnia, quia ab ipso dirigitur, Domino, Proverb. 16.

## QUÆSTIO II.

### *Nobilitas an virtus in committendo Ma- gistratu spectanda?*

Omnes boni, scribit Cic. *Pro Sexto Rosc.* semper nobilitati favemus: & quia utile est Reipubl. nobiles homines esse dignos majoribus suis: & quia valet apud nos clarorum hominum & benè de Republ. meritorum memoria, etiam mortuorum. Melior namque majorque ut plurimum virtutis præsumptio est, ut Theodoricus Rex apud Cassiodor: *lib. 2. var. ep. 5.* inquit, ex parentum virtutibus prolis judicantur successus; quia bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt, dum origo nescit deficere, quæ consuevit, radicitus pullulare. Sapor, qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit fortè vitiatus, nescit rivulis abnegari. Sanè, juxta Horat. *lib. 4. Od. 4.*

*Fortes creantur fortibus, & bonis:  
Est in juvencis, est in equis Patrum  
Virtus, nec imbellem feroces  
Progenerant aquila columbam.*

Et



Et habet hoc optimum ( ex verbis Sen. ep. 37. ) genero-  
sus animus, quod concitetur ad honesta: Contrà, generis  
humilitas ad terram ferè deprimat animos. Unde Ti-  
berius in pleraque gubernatione prudens, hoc quoque  
servabat, teste Tacit. 4. *Annal.* 6. ut mandaret honores,  
nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres do-  
mi artes spectando: ut satis constaret, non alias potiores  
fuisse. Veruntamen quia multos degeneres, & majori-  
bus suis dedecoros invenire est, quorum inter alios etiam  
Tacitus exempla suppeditat, ut Sempronij Gracchi *lib. 1.*  
*Annal.* c. 53. M. Lepidi *lib. 3. c. 22.* Mamerci Scauri *ibidem c.*  
*66.* minus feliciter his talibus Rempubl. communicave-  
ris. Nam ut Juvenalis taxat *Satyr. 8.*

*Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo*

*Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus*

*Majorum, & stantes in curribus AEmilianos?*

*Quis fructus generis, tabulâ jaçtare capaci*

*Fumosos equitum cum Dictatore Magistros,*

*Si coram Lepidis male vivitur? ———*

Ex illo enim Ovidij ad Pison.

————— *perit omnis in illo*

*Gentis honos, cujus laus est in origine sola.*

Tutius ergò consultiusque judicatur, virtutem potissi-  
mùm in committendo Magistratu spectare. Sapienter  
*in Sulla Plut.* Ut venator non quærit, quod tali cane na-  
tum sit, sed canem: Et eques equum ipsum non quod  
ex equo: ( quid enim si mulus ex equo sit ) ita vir Politi-  
cus totâ viâ erraverit, si in rectore non requirat, quid sit,  
sed è quibus? Claudianus quoque hoc nomine Stili-  
conem commendat, dum *lib. 2.* ita eum alloquitur?

————— *Lectos ex omnibus oris*

*Evehis, & meritum, nunquam cunabula quaris:*

*Et qualis, non unde satus.*

A 3

Taci-

Tacitus idem de priscis Romanis *Annal.* 22. apud Ma-  
jores, scribit, virtutis præmium erat Magistratus, cunctis-  
que civium, si bonis artibus fiderent, licitum eos petere.  
Generis verò nobilitatem ne in evectione quidem ad Re-  
gium vel Imperialem thronum spectandam esse, vel inde  
evincitur; quod etiam sceptrum Polonicum priscis se-  
culis Piasto agricolæ sit delatum. Kirch. *de Republ. disp.* 13.  
*coroll.* 1. Quis ignorat, Primislaum à ferrea mensa, hoc  
est, à vomere, in quo prandebat, ad Solum & Regnum  
accitum Bohemorum? Æn. Sylv. *Hist. Boh.* c. 6. Quin &  
consulares fascès Serrano, Attilio, & alijs inter arandum  
oblatis. Ergò virtute decet, non sanguine niti. Quip-  
pe cùm optimus quisque, sit nobilissimus. Et in cujus  
animo virtus inest, ei plurimum tribuendum, Vellejus  
Paterculus: ut Euripides rectissimè alicubi ostendat:  
Nullam inter malos, sed bonos duntaxat nobilitatem  
esse: Fortes itidem naturâ & justos, quamvis è servis na-  
tos, nobiliores esse.

### QUÆSTIO III.

#### *An etiam fœmina ad Imperium admittenda?*

Sunt quidam tam rigidi hujus rei censores, inque sin-  
gulis fœminarum propalands virijs tam exquisiti exa-  
minatores, ut indignam miserandamque æstiment Sor-  
tem eorum, qui pro Rege Reginam agnoscunt, ut apud  
Hungaros, exemplo Mariæ Ludovici I. Regis Hungariæ  
filix, factitatum esse, notat Bonfin. *Dec.* 3. *lib.* 1. Esse scili-  
cet hunc muliercularum sexum non imbecillum tan-  
tùm, & imparibus laboribus: Sed, si licentia adsit, sævum,  
ambitosum; Tacit. 3. *Annal.* 33. Bono carere consilio  
hoc hominum genus: Quia iterum Tacito auctore 15.  
*Annal.*

*Annal.* 54. plerunque muliebre consilium deterius. Unde ex omnibus foeminis una Pallas, illa sapientiae Dea, Jovis cerebro nata, matre, ut scribit Lucian. *in Dialogo Vulcani & Jovis*, caruit; Ut intelligeretur, sapientiam à foeminis manare non posse, explicante sic Marciano. Cave sis itaque, & primo, ut est in proverbio, mulieris consilio crede, secundo noli. Adde, quòd instar chamæleontis, & si quid adhuc inconstantius, sententiam suam mutet, & non nisi in inconstantia sua sit constantissima, ex illo Propertij *lib. 2. Eleg. 18.*

— nulladiu foemina pondus habet.

Colum exinde tractet foemina, non sceptrum: Ad sceptrum verò regendum vir natus. Nam quicquid masculum, naturam magis factum ad imperandum foemineo. Arist. *1. Polit. 8.* Et iterum Philosophus *1. Polit. 5.* Masculus & foemina, alter melior secundum naturam, altera deterior: Et hic imperans, illa verò parens. Causa hæc est, quod Politicorum facile princeps Tacit. *de mor. Germ. c. 45.* servile planè foeminarum aestimet Imperium, de Sidonibus Germaniæ gente quadam, dum scribit: Foemina dominatur, intantum non modò à libertate: sed à servitute degenerant. Vicissim Jugantes foeminae imperio subdi ignominiosum ducunt. Tacit. *12. Annal. 40.* Non tamè omnino à Regio arcendæ throno foeminae: Cùm nulli præclusa sit virtus, omnibus pateat, omnes admittat, nec censum, nec sexum eligat, pronunciante Sen. *3. de benef. 18.* Nec fastidioso aditu virtus excitata, ingenia vivida ad se penetrare patitur, nec haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum malignumve præbet: Sed omnibus aequaliter posita, quid cupiditatis potius, quàm quid dignitatis attuleris aestimat: Inque captu bonorum suorum tibi ipsi pondus examinandum relinquit, ut, quantum subire animo sustinueris, tantum tecum

tecum auferas, Valer. Max. *lib. 3. c. 3.* Imò quis dixerit, naturam malignè cum mulieribus ingenijs egisse, & virtutes illarum in arctum retraxisse? par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta (libeat) facultas est, Sen. *consolat. ad Marc. c. 16.* Annon Semiramis non foeminas modò virtute, sed etiam viros anteivit? Justin. *lib. 1. c. 2.* Ut in viro (Xerxe) muliebrem timorem: Ita in muliere (Arthemisiâ Halicarnassi Reginâ) virilem audaciam cernere licet, Idem *lib. 2. c. 12.* Uxor Antonij Fulvia nihil muliebri, præter corpus, gessit, Paterculus *lib. 2. c. 74.* Foeminae itidem obsidium capitulinum subierunt, neq; liberos, neque propinquos, sed bellum secutæ, Tacit. *3. Hist. 69.* Quid quod foeminarum ductu, solet bellare Britannus, Tacit. *13. Annal. 35.* Phile uxor Demetrii Regis filia Antipatri, illius qui Macedoniam & Græciam vivo mortuoque Alexandro gubernavit; hæc jam tum puella, & in annis teneris nativâ quâdam prudentiâ sic visa excellere, ut pater consilia ab ea peteret, & audiret: Pater, ille senex, ille usu & tractatione rerû sic peritus. Quid Demetrius, cum jam uxor ejus esset? erat ipse vario ingenio, & vitijs propior: Sed mirâ temperie hæc maritum flectebat, ne dicam, regerat: Calumnias supprimebat, iras mitigabat, justa & honesta inferebat. Jam populi verè mater, tenuiorum filias dotibus datis elocabat, afflictos à fortuna relevabat, bonos provehebat. Quid apud ipsos milites? salvo pudore foeminæo, & ijs se miscebat: Alloquebatur, erigebat, tantâ auctoritate vel gratiâ, ut sola tumultuantes represserit, & in seditione lapsos revocârit. Quæ fides deinde & amor in ipsum maritum? cum victus à Pyrrho Rege esset, castris ac Regno exutus, vivere non ultra sustinuit, & morte spontaneâ invidiam fortunæ fecit. Egre giè Lips. *monit. Politic. lib. 2. c. 2.* At silentio fermè præteriissem Heroïnâ illam, nunquam satis laudatam,  
Elisa-

Elisabetham, Angliæ Reginam, quæ præter multas corporis dotes, supra sexum prudens, multisque literis exposita, Græcè & Hispanicè mediocriter, Latine verò, Gallicè & Italicè ad miraculum docta, quæ uno & eodem die tribus maximorum Regum legatis, Latine uni, alteri Gallicè, tertio Italicè respondere audita est, cujus consiliis sapientissimis Anglia 40. circiter annis feliciter gubernata fuit, Caspar Ens *in Hist. Belg. tom. 4. lib. 8. ad fin.* Non itaque excludendæ sunt ab Imperio foeminæ, nisi fortè lex aut mos patrius aliter jubeat. Quod si verò gubernatio à Deo, populo, lege, moribus, speciali Regnorum conditione sic flagitante deferatur foeminis, sexus nîl obstare, sed fidei quoque & Regimini earum Regni esse credenda scepra statuimus.

#### QUÆSTIO IV.

*Magistratusne indigena, an verò peregrini eligendi?*

Quod domi est, vile est, scribit autor optimus Sen. 3. *de Benef. c. 3.* Fortè, quia (ut idem habet *ep. 68.* vile videtur, quicquid patet. Hinc, ut Pindarus taxat alicubi: Est genus hominum stultissimum, qui vituperantes, quæ sunt indigena, circumspiciunt, quæ sunt ulterius, vana consecretantes irritâ spe. Quo motu adeò concitatos videmus quosdam Rerum publ. incolas, ut se suosque spernentes, exteros longè vocent, quibus se, vitam, fortunasque suas credant, collumque præbeant hominis externi subjugandum regimini. At quàm ad votum, respondeat nobis ex multis unicus Justus Lipsius, vir omnia doctus: Ut, in quam domum, dum scribit *in notis ad lib. 3. Politic. c. 4.* Vespillones veniunt, signum est funeris: sic Reipubl.

B laban

labantis, ad quam fulciendam adhibentur Peregrini. Hi namque morum, ingeniorum, quin & totius Reipubl. sunt imperiti: Rempubl. itaq; quomodo & quam feliciter administrabunt? cum cōsiliū nō nisi ejus sit, qui rei cuiusque peritus est, ut Plato docet *in Alcibiade 1.* quo etiā illud Ciceronis facit *2. de Oratore*, Ad cōsiliū de Reipubl. dandum, caput est, nosse Rempubl. Et licet Princeps aliquis externus benè rem gerat, & commodè gubernet: Tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum repræsentare potest benevolentiam, ac si esset indigena, facile oriuntur diffensionum occasiones, ut notat seculi nostri Historiorum Princeps Cominaus *lib. 8. commentar. in fin.* Imò & Principis externi jugum molestissimè ferunt subditi; quod Alexandro M. Scythæ obijciunt apud Curt. *lib. 7. c. 8.* Nam ut fortior sis, ajunt, quàm quisquam: Tamen alienigenam Dominum nemo pati vult. Hinc etiam apud Massilienses nemo sceptri capax erat, nisi qui liberos haberet, & de civium sanguine tertiam per generationem ortus esset. Strabo *lib. 4. Geograph.* Syracusani quoque non nisi priscis civibus & familiis vetustis Magistratum deferebant. Veneti etiam, qui prudentiæ laudem habent, peregrinis in Reipubl. administratione regulariter nullum relinquunt locum. Patrit. *lib. 3. t. 2. de Repub. instit.* Inter Belgarum privilegia & hoc extat: Nullum peregrinum aut externum muneribus publicis præficiunt: Quod interversum ipsis à Philippo II. Hispaniarum Rege, conqueritur autor de jure belli Belgici, qui consiliarios Hispanicos primus ordinibus adjunxit. Mos & hinc religiosissimè apud Helvetios servatur. Neque enim illi peregrinum administrationi regiminis publici præficiunt. Quid quod & in Imperio nostro Romano Germanico, in electione gloriosissimi Imperatoris Caroli V. lege cautum esse, dicebat

Electo r

Electo Moguntinus, ne decus Imperii ad externos transferatur. Ubi tamen leges Reipubl. fundamentales non contradicunt, etsi eximia in peregrino virtus enitet; non video, quid obftet, quo minus ad Magistratus honorem promoveri possit. Hinc Imperator Augustus M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ, geminatis consulatibus extulit. Tacit. 1. *Annal.* 3. Dumque nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus, crevit Imperium Romanum Liv. *lib.* 4. c. 3. Numa curibus Sabinis habitans, consultissimus vir, ut in illa quoque aetate esse poterat, omnis divini atque humani juris, Romam evocatus ad Regnum, Liv. *lib.* 1. Sic & alij exteri ad Imperii Romani gubernacula evecti. Scilicet sensisti Roma, (ut est in Nazari *Pangyrico* c. 35.) tandem arcem te omnium gentium, cum ex omnibus provinciis optimates viros curiæ tuæ præfeceris: Ut Senatus dignitas non nomine, quàm re esset illustrior, cum ex totius orbis flore constaret.

#### QUÆSTIO V.

*Utrum Juvenes ad Magistratus honorem admittendi?*

Per arduum esse Reipubl. munus & administrationem, præclare demonstrat Lips. in *Polit. sua epist. dedicat.* dum in hæc se verba resolvit: Hoc (puta Reipubl. administrare) quam arduum sit, cum ratio nos docet, tum exempla. Illam si inspicimus, quæ tantæ molis, ab uno capite tot capita coerceri, & universam illam multitudinẽ, inquietam, discordem, turbidam, leniter redigi sub cõmune quoddam obedientiæ jugum? si hæc; quàm pauci ab omni ævo reperti, qui laudabiliter hoc munus functi, & defuncti? Nimirum majus quoddam est, quàm imperiti suspicentur,

cursum rectum in undoso illo mari tenere, & in sum-  
mâ fortunâ non abripi licentiâ ventis. Quàm multis  
virtutibus opus est, quibus velut anchoris hæc navis fir-  
metur? quàm variâ prudentiâ, quo velut clavo gubernetur?  
ut verissimè dixerit: Difficile esse homini in homi-  
nem imperium: Nec unius mente unquam dirigendum;  
hactenus Lipsius. Et rem certè vidit, dum scripsit Xe-  
noph. *1. ped.* omnibus animalibus facilius, quàm homini-  
bus imperitari. Unde huic Reipubl. navij jam olim &  
etiamnum patroni præfecti, imò & præficiendi, non Ju-  
venes rerum imperiti: Sed Senes variâ rerum experien-  
tiâ edocti. His enim quamvis corpus annis infirmum  
sit, ingenium tamen sapientiâ validum est. Sallust. *in Ca-  
til. c. 6.* Hinc in proverbium ivit Prudentia senum. Nam,  
ut Poëta canit,

— *seris venit usus ab annis.*

*Ovid. 4. Metamorph.* Ex hoc verò usu hausta consilia tam  
sunt valida, tamque efficacia, ut veteri verbo, consilia  
senum hastas esse Juvenum, Plut. *in Lycurg.* dixerit.

Næ itaque illis

*De meliore luto finxit præcordia Titan,*

Qui, ut senes regendæ Reipubl. aptissimos: Ita Juvenes  
minùs esse habiles, minusque aptos statuunt. Juvenibus  
namque firmum licet corpus natura dederit, ingenij ta-  
men vim negavit. Cùm molles sint & ætate fluxi, atque  
ideò dolis haud difficulter capiuntur, Sallust. *in Catil. c. 14.*  
Temeritas, insuper atque calor huic ætati assitus, vel po-  
tius insitus, qui maxima miserrimaque Reipubl. naufraga  
sæpè conciliat, ut inquit *in Dialogo de senect.* Cic. Cum  
quo congruit illud Liv. *lib. 35. c. 32.* Consilia calida & au-  
dacia primâ specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia.  
Tandem, ut omnia alia Juvenibus adsint; tamen eorum  
autoritas nondum est adulta, ut Politicorum oraculum  
Tacit.



Tacit. habet *1. Annal. 45.* Autoritate verò tanquam firmo  
fulcro Reipubl. moderator destitutus, haut procul est à  
lapsu. Cùm majestas Imperii salutis sit tutela. *Curt. lib. 8.*  
& Imperator Augustus plùs magnitudine nominis sui fe-  
cit, quàm armis alius Imperator facere potuisset, *Justin. in  
fin. lib. 12.* Factum inde, ut Solon vetuerit, Juvenem Magi-  
stratum gerere vel consulere, etiamsi optimè à mente  
constitutus esse videretur. Verùm enim verò cum tri-  
plex sit Juvenis, ut notat *Arist. 1. Eth. 3.* Alius juvenis æ-  
tate, qui tamen probatis moribus est senex, qualis Ale-  
xander M. apud *Plut. in ejus vita,* Et Cyrus apud *Xenoph.  
in ejus pæd.* Alius moribus Juvenis, & senex ætate; cui, ut  
*Sen. loquitur in lib. de Constant. sapientis cap. 12.* etiam post  
juventutem canosque puerilitas est, & in quo non pueri-  
tia, quemadmodum *Idem habet ep. 4.* sed, quod gravius  
est, puerilitas remanet: Alius denique juvenis ætate &  
moribus, qualis extitit *Polæmon,* referente *Diogene  
Laërtio sub initium vitæ ejus,* & *Horat. lib. 2. serm. Satyr. 3.*  
Nec non *Phædrus,* notante *Aulo Gell. lib. 2. c. 18.* Quam-  
vis igitur juveni secundi ac tertij generis, quamdiu in il-  
lo genere substiterit, omnis ad Magistratus culmen præ-  
clusus esse debeat aditus: Primi tamen generis juvenem  
ego ex asse nō excluderem. Audi enim sis à meis stantem  
partibus *Oratorem & Politicum inter maximos maximū  
in Philip. 5. legibus Annal. (dum scribit) Cum grandiorē  
ætatem ad consulatum constituebant, adolescentiæ te-  
meritatem verebantur.* C. Cæsar ab incunte ætate do-  
cuit, ab excellenti eximiaque virtute progressum ætatis  
expectari non oportere. Itaque majores nostri, veteres  
illi, admodum antiqui leges *Annales non habebant:*  
quas multos post annos attulit ambitio, ut gradus peti-  
tionis essent inter æquales. Ita sæpè magna indoles vir-  
tutis, priusquam Reipubl. prodesset, extincta fuit. At ve-

rō apud antiquos Rulli, Decii, Corvini, multique alii, recentiore autem memoriâ superior Africanus, T. Flaminus, admodum adolescentes consules facti, tãtas res gesserunt, ut populi Romani Imperium auxerint, nomen ornãrint. Quid Macedo Alexander? cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nõne tertio & tricesimo anno mortem obiit? Quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quàm consularis. Ex quo judicari potest, virtutis esse quàm ætatis cursum celeriores. Non itaq; cursus ætatis expectandus est in festinatione virtutis, Nazar. *Paneg. c. 16.* Iniquum enim est, cum honori nondum tempestivum videri, qui jam virtute maturus est. Valer. *Max. lib. 3. c. 1.*

#### QUÆSTIO VI.

*Utrum uniplures Magistratus honores committendi?*

Libie apud Isocratem in laude Busyridis instituisse fertur: Ut unus tantum unicum tractaret artificium, in quo aliàs excellere non posset. Id quod non perperam in alijs quoque locum habere potest functionibus, in quibus satis est, unum versari in uno tantum officio: Tum ut illud optimè administrare discat: Tum quod ad plura benè regenda non sufficiat: Cum duas res, magnas præsertim, non modò agere uno tempore, sed ne cogitando, quidem explicare quisquam possit. Cic. *Philip. 12.* Nusquam enim est, qui ubiq; est. Sen. *ep. 2.* Notum illud est Atheniensium de πολυπραγμοσύνη Metiochi: Metiochus exercitum ducit: Metiochus vias curat: Metiochus farinam tractat: Metiochus cunctis alijs præest: Metiochus itaq; plorabit, Plut. *de ger. Republ.* Ecceur itaq; in re tãti ponderis momentique, Magistratus scilicet administratione, unius fidei duæ vel tres Magistratus demãdabuntur dignitates? Natura sanè non

non uni omnia, sed singulis distincta dat officia: Soli, ut  
luceat: Igni, ut ardeat: Aquæ, ut humectet. Idem quoque  
in Rerum publ. administratione observandum, & obser-  
vâsse Augustum Cæsarē, quia eâ de causâ plures ad Remp.  
admovendos esse censebat, ne plura officia uni eidemque  
committerentur, notat Suet. *in Augusto c. 37.* Inde enim ma-  
la & incommoda plurima oriuntur: Officia negliguntur:  
Corriguntur iudicia: Introducuntur multi vicarii, qui pe-  
stes sunt Rerum publ. Arist. 2. *Polit. 9.* Via etiam præcludi-  
tur conscendendi ad honores idoneis, dum unus pluriū  
vices vel honores occupat: Ac ita Principi depereunt bo-  
ni & strenui, aliò sese conferentes. Gregor. Tholosan. 4. *de*  
*Republ. c. 6* Unde factum, ut Romani, Macedones & Lace-  
dæmonij legem tulerint, ut nemo duobus simul fungere-  
tur officiis, Kecker. *curf. Philosoph. disp. 31. quest. 6.* Quadrat  
huc illud notatu dignum, quod de Chabaune, Principe  
quodam Galliæ refertur: Qui cum Ludovicus XI. Gallo-  
rum Rex, Balvo, Erusiorum Episcopo, potestatem Pari-  
siis dedisset, recensendorū militum; ægrè id ferens, à Re-  
ge censoriâ potestatem petiit in Canonicos Erusios ani-  
madvertendi: Rege verò respondente, aliena à messe fal-  
cem cohibendâ esse: Minimè, inquit; Nam cum Episco-  
pus nostram messem suam fecerit: Superest, ut nos ipsius  
nostram esse ducamus. Carrozet. *de dict. memorabil.* Lauda-  
tur verò Ludovicus Ungariæ Rex, qui à Casimiro M. Po-  
lonorum Rege in Regni successorem adoptatus, peten-  
tibus Polonorum legatis, & Ungarorum proceribus, ut  
Regnū susciperet, respondit: Non satis se intelligere, neq;  
hos, quid suadeant, neq; illos, quid petant. E neutrorum  
enim re id fore. Sicut neq; duobus quidē gregibus expe-  
diat unum pastorem habere. Duas Republ. vix ulla ratio-  
ne sine alterutrius, sive adeo utriusque malo & incōmodo  
ab uno administrari posse. Etsi post, victus ab Oratoribus,  
annue-

annuerit. *Cram. lib. 3.* Concludimus tamen cum *Caso,*  
*sphæra civit. lib. 2. c. 9* Esse adhuc quædam miracula ingenij,  
rationis & experientiæ, quibus favor Principum ac Civi-  
tatum plures Reipubl. claves ac Magistratus jure possit  
committere. Sed quoniã tales, inter homines Phænices  
sunt; ut illis, qui plurimis defunguntur officiis, invidere  
non debemus: Ita plures uni dignitates concedi posse,  
vix est definiendum. Nam ut in altero par est ut Scevo-  
læ & Oracula civitatis multis & magnis Reipubl. lumini-  
bus illustrentur: Ita in hoc semper tutum non est, ut a-  
quilis & potentioribus viris clavi multarum navium  
committantur. Aquilæ enim pennis ultra nubes vecti sæ-  
pè in Solem volare nitentur: hætenus Casus. Addimus  
& hoc: Quòd si Magistratus sint inferiores, immensis il-  
lis negotiorum undis & fluctibus non circumdati, posse  
adhuc uni plures ejus generis dignitates committi: In su-  
perioribus autem Magistratibus quibus fieri potest mo-  
dis, cavendum est, ne unus gravissimo ejuscemodi sufful-  
ciendo Olympo supponatur Atlas.

## QUÆSTIO VII.

*Utrum Magistratus perpetuus esse debeat,  
an verò ambulatorius?*

Arduam de hoc Politices articulo disputationem esse,  
scribit Arist. 4. *Polit. 15.* cum pro utrâque parte non con-  
remnendam militent argumenta. Et perpetuos quidem  
diuturnos non esse debere Magistratus, inde persuade-  
mur, ne eorum dignitas in insolentiam vel nimiam po-  
testatem desinat. Unde, Cassiodoro teste, antiquitas vo-  
luit, provinciarum dignitatem annuâ successione repara-  
ri, ut ne diutina potestate unus insolesceret, & multorum  
præfe-

TRA SSBurg, Diss., A627-23

ULB Halle 3  
004 527 275



Sl

VD 77







130bt  
40

N<sup>o</sup> 11  
DECURIA Schless. publick. 2

Quaestionum Historico-Politicarum

DE

MAGISTRATU,

QUAM

Summo moderante Dictatore,

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi atq; Excellentissimi,

DN. MATTHIÆ BERNEGGERI,  
HISTORIARUM IN FLORENTISSIMA ARGEN-

TORATENSIIUM UNIVERSITATE PROFESSORIS  
celeberrimi, Præceptoris & Patroni sui æter-

nùm honorandi,

Placida Disquisitioni publicè exponit,

Horâ locoq; consuetis,

Mensis Iunii die

JOHANN - LAURENTIUS BÜTTNER,  
Suinfordiâ - Francus.



*Nonnunquam de Republ. est loquendum: Cujus materia quanto  
rarior occasio, tanto minus omittenda est. Habeant nostra quoq;  
studia aliquid non humile, nec sordidum, nec privatis rebus in-  
clusum. Plin. lib. 3. ep. 20.*

ARGENTINÆ,

Excudebat WILHELMUS CHRISTIANUS GLASERUS,  
Academiæ Typographus.

ANNO M. DC. XXIX.

40

1629A.

23

63

